



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi Roffensis**

**Fisher, John**

**Lvgdvni, 1572**

Psalmvs XIII. In quo gratias agit Deo, quòd non præualuerunt hostes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41688**

spacioso loco pedes meos sistas.

Ne auertas faciem tuam à me, ne similis fiam descendentibus in lacum.

Intende ad preces meas, quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me, quia robusti sunt supra me.

Velociter exaudi me Domine, ne deficiat in me spiritus meus.

Educ de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperde omnes inimicos meos.

Et perde eos, qui me perdere volunt, quoniam ego seruus tuus sum, Amen.

PSALMVS XIII. IN

*quo gratias agit Deo, quòd non  
preualuerunt hostes.*

**L** Audibuste celebrabo, Domine Deus, quoniam exaltasti me, & non preualuerunt inimici mei super me.

Domine exercituum, ad te clamaui, & tu saluasti me.

Extraxisti ab inferis animam meam: tenuisti me, ne ruerem in profundum lacum, vnde nullus reditus.

Non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, immò statuisti in lo-

eo spacioſo pedes meos.

Queſiui te, & exaudiſti me, & de anguſtijs meis liberum me feciſti.

Conuertitiſti dolorem in gaudium mihi, diſſoluſti luctum meum, & circundediſti me lætitia.

Magnificatiſti ſalutem tuam ſeruo tuo, feciſti miſericordiam mecum in miſerijs meis.

Non contempſiſti afflictionem pauperis, nec auertiſti à me faciem tuam.

Miſericordias tuas in æternum cantabo, notam faciam veritatem tuam in vita mea.

Os meum narrabit iuſtitiam tuam, omni tempore beneficia tua, certè non noui numerum.

Sed gratias agam donec mors rapiat, tibi psallam quamdiu fuero.

Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti in neceſſitates meas, & cognouiſti in anguſtijs animam meam.

Fuiſti mihi infirmo refugium, & infortitudinem fiducia meæ.

Gratulor tibi Domine pro ſempiterna bonitate tua immenſa.

Tu consolatus es me in tempore malo, Deus tu propitius mihi fuisti, & ultus es iniuriam inimicorum meorum.

Pro multitudine cogitationum mearum intra me, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Gaudium mihi dedisti pro diebus quibus afflictus fui, pro annis quibus mala tuli multa.

Recordatus es opproprij serui tui, & in furore quo modo persequerentur inimici mei.

Domine Deus exercituum, quis similis tibi? fortissime Deus, magnus es tu, & laudabilis multum.

Tu excelsus es super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.

Gloria & decor ante vultum tuum, sanctitas & magnificentia in sanctuario tuo.

Iustitia & iudicium firmamentum throni tui, misericordia & veritas faciem tuam præcedunt.

Benedictus es Domine, qui non tenuisti misericordiam tuam à seruo tuo.

Quum diu expauissem te Domine, tandem attendisti mihi, & clamorem meum audisti.

Edu.

Eduxisti me de lacu miseræ, & de luto limi statuisti supra pedes meos, & gressus meos solidasti.

Desiderium meum mihi dedisti, vidi lætitiã vultus tui.

Percussisti omnes aduersarios meos, & virtutem eorum confregisti.

Increpasti turbã infestantium, & euulsiisti me de manibus eorum.

Præcipitasti eos in foueam suam, in reti, quod pro me abscondiderunt, pedes eorum illaqueantur.

Reuersi sunt inimici mei retrorsum, corruerunt & perierunt à facie tua.

Fuisti munimentum inopi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Fecisti iudicium pro me, & egisti causam meam contra accusatores meos.

Et licet ad momentum exardebat ira tua, tamen vita iam in repropitiatiõne tua.

Putabam equidem, quod penitus abiectus essem à conspectu tuo.

Sed tu preces meas audisti, & pro abundantia misericordiæ tuę recepisti me in gratiam tuam.

Domine in voluntate tua robur ani-

mæ meæ dedisti, cum absconderes faciem tuam, quum turbatus eram.

Ad te clamaui de tribulatione mea, respondisti mihi: cum angustiaretur in me anima mea, tui Domine recordabar.

Degeſtaui & vidi quàm ſuauiſ es tu, certè felix eſt, quiſquis in te ſperat.

Secundum nomen tuum, ſic eſt laus tua, ſed conſilia tua erga nos exemplo carent, & maiora ſunt, quam manifeſtari poſſint.

Tuum eſt imperium, & potentia, & gloria, quia tu feciſti omnia, & propter voluntatem tuam adhuc conſiſtunt.

Sit nomen tuum benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſempiternum, Amen.

PSALMVS XIII: IN

*quo Diuina laudatur bonitas.*

**D**omine, Dominus noſter, quam admiranda eſt maietas tua per vniuerſam terram? qui dediſti laudem tuam ſuper omnes cælos.

Quid eſt homo, quòd uſque adeò eum magnificas? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Magnus eſ Domine, & multum laudandus in monte ſanctitatis tuæ.

Tibi